Tr. Pr. J. Müller professor in Altenberg

EXERCITIUM JURIS CIVILIS

FINALE

IN QUO

POSITIONES

EX

UNIVERSIS INSTITUTIONIBUS

in Aula Jurium Electorali Academiæ Maximilianeæ Bonnensis

ad Diem XVI. Septembris MDCCLXXVIII.

Manè à IX. ad XI. Post Prandium à III. ad V.

EXPONET ac PROPUGNABIT

ADAMUS MARTIN Bonnensis

Jurium Auditor.

BONNÆ, in Typographia Academico-Aulica.

Dissert. 105 (16)

Ad Prooemium.

I. Nihil utilius, & jucundius juris cultori esse potest, quam historiam ejus juris nosse, quod indies evolvitur, quo & ad causas dijudicandas, & dirimendas in foris nostris utimur.

II. Imò cum in corpore juris romani multa sint capita, quorum ratio non nisi ex historia reddi potest, ab antiquitatum romanarum cognitione ad jurisprudentiam civilem ingens præsidium peti debere, non dubitamus.

III. Non autem per antiquitates romanas intelligimus romanorum epulas, solennia ludorum & similia, sed tales, quæ Imperii romani varia fata, ac vicissitudines, magistratuum, judiciorum, & processus romani notitiam continent, requirimus.

IV. Pro diversitate statûs imperium romanum diversis quoque legibus utebatur; unde legum romanorum nimia prolixitas erat, & inutilis dissonantia.

V. Justinianus itaque non unâ tantùm ratione motus ex multitudine constitutionum, immensisque JCtorum libris corpus juris, opus à multis ante, sed frustrà tentatum confici curavit.

VI. Hoc corpus juris romani tum ob singularem æquitatem, dignitatem ac præstantiam, tum ob legum patriarum defectum in foris nostris receptum, in subsidium nos obligat.

VII. Unde non nisi deficientibus legibus, consuetudinibus patriis, & constitutionibus imperii recursus ad jus romanum conceditur.

VIII. Nihilominus tamen legem romanam pro se allegans fundatam intentionem habet.

IX. Nullam antimoniam, sive legum contradictionem in uno eodemque codice locum sibi vindicare, sed unam concordiam Justinianus habere voluit.

X. Si verò aliquæ leges sibi contrariari videantur, pro illis conciliandis rarò leges emendandæ vel corrigendæ sunt, ne quis, dum librariorum, vel Triboniani insectari velit inscitiam, propriam confiteatur.

XI. Sed potiùs ad evitandas contradictiones, leges tum ex genuina utriusque legis, quæ sibi invicem opponuntur, lectione, tum etiam ex aliis conciliationum regulis sunt combinandæ.

XII. In aliis successivè editis codicibus, & legibus, si apparens contradictio nullâ conciliatione tolli possit, leges posteriores potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt.

XIII. Institutiones, licet compilatione posteriores, tamen quandoque pandectis, & hæ quandoque Institutionibus cedunt.

Ad

Ad Lib. I.

XIV. Juſtitia definitur, quod ſit: *conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* Cujus alia etiam definitio ſubſtituitur, quod ſit: *conformitas actionis cum lege.* Utraque definitio admitti poteſt, ſed pro diverſo reſpectu.

XV. Jus ab objecto, & fine in publicum & privatum dividitur; à causâ verò efficiente etiam jus privatum quandoque publicum dici exemplis demoſtratur.

XVI. Saltim in ſenſu ab authore intento Ulpiani definitio juris naturalis, *quod natura omnia animalia docuit* meritò ſuſtinetur.

XVII. Immeritò verò quidam ideo, quia bruta legum ſunt incapacia, hanc definitionem rejiciunt, Ulpiani enim mens non fuit, brutis legum capacitatem concedere.

XVIII. Jus naturale, quo omnes adſtricti ſumus, etiam legislatorem in ferendis legibus civilibus ligat.

XIX. Tanta quoque inter jus naturale & civile datur connexio, ut ſi quis maximam jurisprudentiæ civilis partem, jus naturale factis hominum applicatum dixerit, nos non admodum habebit diſſentientes.

XX. Inde jus naturale à jure civili vel ſimpliciter approbatum, vel pro neceſſitate reipublicæ illi aliquid addendo vel detrahendo modificatum reperitur.

XXI. Jus gentium ſtrictè ſumptum eſt ipſum jus naturale hominum ſingularium ad ſtatum gentium applicatum.

XXII. In ſenſu verò latiori jus gentium diverſimodè ſumi, etiam in jure civili veſtigia reperimus.

XXIII. In explicandis, applicandisque legibus ad legis mentem, ſive rationem potiùs, quam ad verba eſt reſpiciendum.

XXIV. Neque credendum eſt, prudentes legum latores aliquid ſtatuere, quod ſine ratione, & publico commodo eſſet.

XXV. Rarò itaque ad L. *non omnium* 20. in ff. de LL. erit recurrendum.

XXVI. Interpretationi authenticæ, secùs ac doctrinali vim legis tribuendum esse, dubium non habet.

XXVII. Privilegia regulariter strictam sortiuntur interpretationem, secundùm quam ad aliam personam aut causam ex rationis identitate extensio fieri nequit.

XXVIII. Licet responsa prudentum vim legis non habeant, non tamen omnino effectu destituuntur.

XXIX. Ad introducendam consuetudinem non sufficit consensus generalis sed specialis requiritur.

XXX. Neque assentiendum est illis, qui tempus 40 annorum, vel immemoriale ad consuetudinem regulariter requirunt; sed prudenti judicis arbitrio hujus determinationem relinquimus.

XXXI. Homines proprii cum servis, vel potiùs plebæ adscriptis comparari solent, ab illis tamen in pluribus differunt.

XXXII. In materia de nuptiis quoad computationem graduum jus canonicum juri civili præponimus.

XXXIII. Objectum legitimationis sunt liberi naturales, nec tamen de jure civili omnes, qui ita appellantur, aut appellari possunt.

XXXIV. Legitimatio per subsequens matrimonium de jure romano non procedebat, nisi intervenientibus instrumentis dotalibus; secùs est de jure Can. quod mores hodierni sequuntur.

XXXV. In legitimatione per rescriptum Principis saltim quoad effectum patriæ potestatis & successionis tam legitimandi, quàm patris consensus requiritur.

XXXVI. Quia adoptio imitatur naturam, & in subsidium est adinventa, nec absolutè inhabiles ad procreandos liberos, nec illi qui procreandis liberis adhuc studere possunt, adoptare permittuntur.

XXXVII. Unio prolium, quæ adoptionis quoddam simulacrum est, primariò, & unicè effectum successionis intendit.

XXXVIII. Nec tamen hæc successio reciproca est, nec patri naturali potestatem exhæredandi liberos demit.

XXXIX. Licet tutela ad munus publicum referatur, privatæ tamen dispositioni patris hæc ita subest, ut filio etiam exhæredato pater tutorem dare possit.

XL. Imò in testamento minùs solenni parentum inter liberos pater tutorem rectè constituit.

XLI. Cautio de indemnitate pupilli per pignora facta insufficiens est, sed fidejussoria requiritur.

XLII. Pupillus absque authoritate tutoris contrahens alios quidem civiliter, se verò nequidem naturaliter obligat.

XLIII. Tutor suspectus ob dolum removetur cum infamia, ob culpam latam verò non æquè.

Ad Lib. II.

XLIV. Non sine fundamento sustinemus, quod possessio sit species juris in re.

XLV. Fera tam in fundo alieno, quam proprio capta, statim ut capta est, nostra fit, non verò statim, ut elapsa est, etiam nostra esse desinit.

XLVI. Species nova non acquiritur facienti, nisi illam suo nomine, & b. f. fecerit, resque ad priorem materiam amplius reduci non possit.

XLVII. In confusione fortuita, non verò in commixtione Dominium materiæ communicatur, sive sint ejusdem, sive diversi generis.

XLVIII. Bonæ fidei possessor tam in judicio particulari, quam universali fructus consumptos, si illis locupletior factus fuerit restituere tenetur.

XLIX. Licet contrahentes in causa dominium transferendi dissenserint, traditione tamen interveniente, dummodo utrinque causa idonea subesse existimetur, dominium transfertur.

L. Omnes servitutes prædiorum, licet in iis exercitium perpetuum non sit, causam tamen habent perpetuam.

LI. Verum non est, quod quidam tradunt, sola ædificia habitandi causa comparata urbanorum prædiorum numero censeri.

LII. Usufructus aliquando mutatione rei extinguitur, etiam in partibus quæ mutato toto supersunt.

LIII. Cautio usufructuaria ab hærede rectè remittitur; remissio verò à testatore in testamento facta pro non scripta habetur.

LIV. Quasi usufructus inter vivos constitutus, etiam remissa cautione, sufficienter differt à mutuo.

LV. Non sicut usufructuarius usumfructum, ita usuarius rem utendam alteri locare potest, nisi hoc ipsi concessum esse ex conjecturis appareat.

LVI. De Justitia præscriptionis non est, cur ambigatur; hæc enim juri naturali conformis potiùs, quam difformis est.

LVII. Mala fides defuncti nocet hæredi, licet ignoranti, nec bona fides defuncti hæredi, scienti rem alienam esse, prodest.

LVIII. Ad præſcriptionem præter tempus legitimum bona fides, juſtus titulus, & poſſeſſio requiritur.

LIX. Unde nec res furto oblata à fure, nec res depoſita à depoſitario, nec juri luendi pignoris, aut annuis præſtationibus temporalibus præſcribi poteſt.

LX. In Acquirenda ſervitute reali affirmativa etiam abſque titulo, modo adſit bona fides, & patientia Domini, in illa verò extingenda etiam cum ſcientia juris alieni, modo ex parte præſcribere volentis, factum non requiratur, præſcriptio tenet.

LXI. Donatio inter vivos in multis à donatione mortis cauſa differt.

LXII. Debitor ſine tutoris authoritate pupillo ſolvens non liberatur.

LXIII. In teſtamento numerus ſeptem teſtium non ad probationem, ſed ad ſolennitatem ordinationis requiritur.

LXIV. Filius familias ne conſentiente quidem patre, neque ſuper peculio adventitio irregulari rectè teſtatur.

LXV. Dies certus inſtitutioni appoſitus ut terminus à quo non ſuſpendit inſtitutionem, ſecùs eſt, ſi conditio fuerit adjecta.

LXVI. Conditio impoſſibilis ſimilis eſt ei, quæ quid turpe continet, & ideò tam hæc, quam illa pro non ſcripta habetur.

LXVII. Subſtitutus in caſum noluntatis non cenſetur ſubſtitutus in caſum impotentiæ, & viciſſim.

LXVIII. Etiam ob cauſas in Novel. 115. non nominatim expreſſas, dummodò æquè graves, vel graviores, & in eodem genere ſint conſtitutæ, exhæredatio fieri poteſt.

LXIX. Dato beneficio abſtinendi hæredibus ſuis, ſublata quidem fuit neceſſitas, ſed tamen non ſine effectu ſalvum manſit jus ſuitatis.

LXX. Beneficium inventarii hæredibus conceſſum jure deliberandi favorabilius eſt.

LXXI. Si res generi legato ſubjecta à natura determinationem non habeat, legatum inutile eſt, niſi teſtator res ex eo genere reliquerit.

LXXII. Filius familias fideicommiſſo univerſali gravatus præter legitimam adhuc quartam Trebellianicam detrahit.

LXXIII. In Codicillis ſecus ac in teſtamento mulieres teſtes eſſe poſſunt.

LXXIV. Teſtamentum in quo filius præteritus eſt, virtute clauſulæ codicillaris ſuſtinetur.

Ex

Ad Lib. III.

LXXV. Ab inteſtato primo ordine ſuccedunt deſcendentes in capita; ſi omnes ſint ex eodem immediato ſtipite, alias in ſtirpes, idque in infinitum.

LXXVI. In ſucceſſione aſcendentium non tenet jus repræſentationis, hinc aſcendentes gradu proximiores excluſis remotioribus, ſi ſoli ſint, in lineas, ſi cum fratribus germanis concurrant, in capita ſuccedunt.

LXXVII. In ſucceſſione collateralium ultra fratrum filios non tenet jus repræſentationis, neque duplicitas vinculi.

LXXVIII. Hodiè ex quacunque conventione licet nec certum nomen, nec aliam præter conventionem cauſam habeat, actio datur.

LXXIX. In mutuo pecuniario reſtituendo non ad tempus ſolutionis, ſed contractûs reſpiciendum eſt.

LXXX. Dolus in omni contractu eſt præſtandus; caſus fortuitus in nullo, niſi debitori præter caſum fortuitum quid aliud objici poſſit.

LXXXI. In commodato non minùs, quam in locatione ob propriam neceſſitatem Dominus rem revocare poteſt.

LXXXII. Depoſitum in regulare & irregulare non ſine effectu dividitur.

LXXXIII. Etiam ſola conventione pignus contrahitur, ſed ut naſcatur actio pignoratitia, traditionem intervenire oportet.

LXXXIV. Ex Conditionali ſtipulatione ipſa ſpes in hæredes transmittitur, ſi priùs, quam exiſtat conditio, mors interveniat; quod ſecus eſt in legatis.

LXXXV. Licet fidejuſſio ſit acceſſio obligationis principalis, fidejuſſorem tamen magis quam principalem obligari nil vetat.

LXXXVI. Beneficium diviſionis fidejuſſoribus non ipſo jure, ſed tantum ope exceptionis tribuitur.

LXXXVII. Rei venditæ periculum ſtatim ad Emptorem pertinet; dominium verò nonniſi traditio ſupervenerit, in Emptorem tranſit.

LXXXIII. Exceptio non numeratæ pecuniæ poſt biennium quidem opponi poteſt, aſt quem favorem biennium tribuit, hunc lapſus biennii adimit.

LXXXIX. Non uti conductori mercedis, ita ſimiliter Emphyteutæ remiſſio canonis in caſu inſolitæ ſterilitatis præſtanda eſt.

LXXXX Unius è Sociis renuntiatione Societas ſolvitur, quamvis Socii ab initio convenerint, ut in perpetuum duraret.

LXXXXI. Proprium mandati eſt, quod morte tam mandantis, quam mandatarii extinguatur, interdum tamen mandatario poſt mortem mandantis implent; mandatum ex bono & æquo actio datur.

LXXXXII. Hæres proprie ex quaſi contractu obligatur legatariis & fideicommiſſariis, non item creditoribus hæreditariis.

LXXXXIII. Indebitum errore ſolutum, ſi nulla interceſſerit obligatio vel naturalis vel civilis, repeti poteſt, ubi tamen diſtinguendum inter errorem facti & juris.

Ad Lib. IV.

LXXXIV. Furtum & Rapinam romani ad delicta privata referebant; undè ab initio ordinariè ex illis non niſi civiliter agebatur.

LXXXXV. Ob quamcunque damnificantis culpam ex lege aquiliâ agi poteſt, nec opus eſt diſtinguere inter diverſa legis aquiliæ capita.

LXXXXVI. An actio ſit realis vel perſonalis non ex materiâ, ſed cauſa efficiente, ſeu jure, unde actio in rem & perſonam naſcitur, eſt dijudicandum.

LXXXXVII. Actio in rem ſcripta ex origine ſua perſonalis eſt, licet in effectu quodammodo actioni reali æquiparari poſſit.

LXXXXVIII. Duas actiones ex uno eodemque negotio oriri non implicat, cumulari verò non poſſunt, niſi tendant ad diverſum.

LXXXXIX. Non ſine effectu inter actiones civiles & prætorias olim diſtinguebatur, non tamen omnes actiones, quæ edicto Prætoris proponebantur, etiam prætoriæ erant.

C. Quia pœnæ pecuniariæ, quæ de jure romano privatis Litigatoribus applicabantur, exoleverunt, & ſolus fiſcus pœnas ob vindictam publicam perſequitur judicio criminali, actiones olim in duplum, triplum, vel quadruplum conceptæ, in ſimplum hodie conceduntur.

CI. Filius familias mutuam levando pecuniam nequidem naturaliter, ſi vero cum minore concurrat, etiam civiliter ad reſtitutionem obligatur.

CII. Interdicta in pluribus ab actionibus differunt, & ad remedia realia rectius referuntur.

CIII. Victus in lite, niſi juſtam cauſam litigandi habuerit, in expenſas condemnatur.

CIV. Aliud eſt officium jus dicentis, aliud Judicis, Judex ſecundum leges, acta, & probata, non verò de legibus, & ſecundum ſuam conſcientiam debet judicare.

Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19